Emmanuel Martinus Ill.mo Marchioni Carolo Rinuccino,
Magno Etruriae Dynastae ab intimis secretis,
viro eximio ac praestantissimo, S. D.

Cùm proxima aestate in agrum Alonensem rusticatum me contulissem; ne nihil agerem, ac, tamquam bruta animantia, inerti otio marcescerem; visum fuit aliquid pangere quod animi torporem excuteret. quod mentem exhilararet, non premeret. eique non tam esset oneri, quàm levamento. Versabatur ante oculos arca quaedam, jam vetustate faticcens, quae mihi ultrò citróque peregrinanti, vicennalem operam navaverat. Subiit miseratio. et quadam veluti religione tactus, seriò cogitare coepi, quodnam ego adversus illam grati animi indicium promerem, quo ejus memoriam posteris commendarem. Occurrit Consecratio. Haesit sententia. Scis Musas amoena deperire. Ab iis igitur allectus, poëmatium istud conflavi. Quod statim misi Philippo Buliphoni, regio aerario in hac urbe Praefecto vigilantissimo atque integerrimo, Minervae ocello, ac omnibus mihi officiis conjunctissimo. Delectari ille solet nugis nostris atque ineptiis. E vestigio igitur de iis edendis. Ac, tametsi ego ut ab ea sententia desisteret, per genium, per fortunas, per amicitiam nostram obtestatus sum: Hylam tamen inclamavi. Angebant me, cùm vitae institutum, parum iis lusibus conveniens; tum reverentia aetatis meae, vergentis jam; quámque unicè decerent studia severiora. At ille propositam sibi rem urgere. donec confecit. Tenes omnia. Ad te igitur advolat novum hoc φαινόμενον, cum exemplaribus adjunctis. Diligentiae tuae erit ut singula meo nomine tradantur Bonarotae, et Maffejo Bulifonis autem, Ludovico Muratori, Mutinensium Principis à Bibliotheca. Maffejum praeterea, amicum νεόκτυτον, salvere jubebis valebisque. Alonae Eidib. Juniis an. MDCCXXII.

Interiore fasciculum ad Ill.mum Praesulem Londadarium bona fide deferri curabis.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE